DE CHRISTI DOMINI
In Cœlum Aſcenſu

ORATIO

Ad Sanctiſs. D.N.

VRBANVM VIII.

P. O. M.

Habita in Baſil. SS. Apoſtolorum
PETRI, & PAVLI
Die XVI. Maij Anni Domini
MDCXXIIII.

PER DON HIERONYMVM
A' CORDVBA VALLISOLETANVM
Philoſophiæ, ac S. Theologiæ Doct.
S.D.N. intimum de Honore
Cubicularium.



Romae, Typis Iacobi Maſcardi 1624.

SANCTISS. D. N.
VRBANO VIII.
PONT. OPT. ET MAX.

DON HIERONYMVS A CORDVBA FEL.

QVI coram te dicere audet, BEATISS. PATER, is non modo Maieſtatem tuam ignorat, (quod olim Romano Imperatori dictum eſt,) ſed etiam eruditionem: qui vero non audet, is ignorat humanitatem. Ego à Maieſtate ſapientiaq. ad Clementiam prouocaui, dum præſente te, Pontificum Maxime, Sapientiſsimeque, dicere ſum auſus. Eadem mihi ſpes in præſentia perſuaſit, vt qui ſemel tenuitatis meæ fines dicendo tranſilieram, eoſdem quoque nunc obtinerem, ipſam Benigni-

tati tuæ laudationem offerendo. Offero eam tibi cum hoc non meo tantum, ſed generis humani voto, vt is, quem aſcendentem in cœlum laudibus proſecutus ſum, te nobis è cœlo datum, vt eius vices, virtutesq. referres, terris præeſſe ac prodeſſe, quod facis, quam diutiſſimè velit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUEL

DE CHRISTI DOMINI
In Cœlum Aſcenſu.

ORATIO.

NOVVM theatri ſpecimen, BEATISS. PATER, ac triumphalis pompæ ſpectaculum in Oliuarum colle tanquam pacis in Regia proponitur, illi permutata quidem in melius actorum vice reſpondens, quod paucis ante diebus in Caluariæ iugo, hoc eſt in gremio mortis, apparatu totius Orbis funeſtiſſimo, tetram & feralem occumbentis Domini ſcenam aperuit. Hoc vertit in diem tenebras, quas alterum euocarat ex die; diras hominum execrationes fauſti cœleſtium plauſus excipiunt; ſanguis effuſus in lucem abit; inſignia mortis in authoramenta victoriæ; vepres ad tempora circumducti ſcintillant in radios; rubeſcit corpus luminis fulgore non ſanguine; candida nubes pro cruce triumphante ſupponitur; effertur in altum diuinitatis virtute, non clauis; Vno verbo, Vir dolorum, virorumque nouiſſimus euaſit in Regem gloriæ, pacis principem, fontem beatitatis. Dies communi populorum gaudio, vel Regum triumphis deſtinatos, appellare natales conſueuit Antiquitas, ſiue partam bello victoriam, ſiue Vrbis imperijq. primordia deſignarent: hodiernam

hanc

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

hanc ego lucem, qua poſt reſtitutam humani generis libertatem victor ad Patrem redit obſequentiſſimus Filius, natalem iure dixerim tum Domini, tum ſeruorum: ille datus olim terris ex Virgine, nunc cœlo redditur ex humanis, iſti humanam naturam inter ſepta mortalitatis degentem, nunc primum regio in ſolio euectam vident ad ſuperos: ille nunc immortali diademate coronatur, qui naſcens formam ſuſceperat ſerui; iſti in partem hæreditatis perpetuo regnaturi aſciſcuntur. & quò præcedit gloria Capitis, eò ſpes vocatur & corporis. Fœlix planè ſpectaculum, iucundum ſuperis, timendum inferis, hominibus ſalutare. Agnus occiſus ab origine mundi, nunc æternam ſibi pacem auſpicatur inter arbores oliuarum. In hoc olim colle tu cęleſtis Agricola, tuis lacrymis, tuoque ſudore ac ſanguine, iſtos olearum ſurculos irrigaſti, quos tibi hodierna die circum immortale caput victor imponis; inter has quòndam oleas vnctus es Agoniſta nobilis, quò facilius cum tenebrarum principe colluctatus, veteri illum poſſeſſione deijceres. Deieciſti, atque vnde initium certaminis adornaſti, ex eodem loco primum triumphi gradum, ac pompam exordiri voluiſti. Perge ò libertatis humanæ vindex; perge ò mortis debellator, ad paratam glorię ſedem, ad Regiam diuinitatis, ad dexteram Patris; licet enim diſcedas ab inferiori hoc noſtræ mortalitatis ergaſtulo, non recedes à corde cor hominum. Sed iam ſuper pennas ventorum Gigas diuinus aſcendit, vnicoque ſaltu aëra prætergreditur, qui prius exultauit ad currendam viam, è Patris ſinu ad Virginis vterum, è ſolio diuinitatis ad anguſtum terræ diuerſorium, de torrente voluptatis ad pelagus ærumnarum.

Plau-

… , gemi-
nant plauſum animę olim captiuorum, ex cipiunt vtrorũque voces atque lætitiam in terra diſcipuli, donec interiecta nubes triumphantem ab oculis Solem ſuſcepit, ſpectaculum clauſit, ſpectatores dimiſit. Quamquam non tam ſpectaculo finem impoſuit, quam nouum ipſa nubes ſpectaculum facta eſt, dum Domino gradienti, pro ſolio curruque ſubiecta (cuius ſub pedibus deficeret ſolis lumen, nec cœli moles immenſa par eſſet) vterum virginalem æmulata eſt, dum quem ille mortalem clauſit, hæc ſuſcipit immortalem. Atque vtinam ſicut hæc nubes in oculos diſcipulorum pluit, quia Dominum illis eripuit, eademque miſſo cęleſtium iuuenum pari illos de aduentu Domini conſolata eſt; ita nos quoque nullas effundamus, niſi de ammiſſo Domino, lacrymas, nec vllam niſi de eodem inuento, lætitiam ſentiamus. Dixi.

LAVS DEO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Imprimatur, Si videbitur Reuerendiſſ. P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Hierac. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Martinellus, Magiſter, & Socius Reuerendiſſ. P. Fr. Nicolai Rodulfii Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatij Apoſt. Mag.